Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25976
Copyright: Admont, Benediktinerstift

52

MODIS autem tribus in gratiam contemplationis proficimus: aliquando ex sola gratia, aliquando ex adiuncta industria, aliquando ex aliena doctrina.

Horum trium in tribus, Moyse scilicet Beseleel et Aaron, typum vel exemplum habemus, si eorum gesta consulimus. Moyses primo archam in monte et nube sine ullo industrie labore ex sola domini revelatione vidit. Beseleel quam videre potuisset proprio labore formavit. Aaron autem archam aliena iam operatione formatam videre consuevit. In more Moysi archam domini sine aliqua humana industria videmus, cum ex sola divina revelatione radium contemplationis accipimus. Sed tunc quasi iuxta Beseleel exemplum in id ipsum ex proprio opere proficimus, cum in eandem gratiam nostro studio et labore artem comparamus. Tunc autem ut archam domini videre possimus quam ex aliena operatione accipimus, quando ex aliena eruditione eiusmodi gratie usum assuefecimus. Sed quod de industrie operatione iam diximus non sic accipi volumus, quasi sine gratie cooperatione aliquid possimus, cum quelibet nostra industria non sit nisi ex gratia. Sed aliud est contemplationis gratiam divinitus percipere, atque aliud est eiusmodi donum dei quidem cooperatione proprio exercitio comparare.

Modis autem tribus hanc gratiam optinemus. Et modo quidem ex divina inspiratione, modo ex propria exercitatione, modo autem ex aliena eruditione.

Illud vero notandum quod quidam ad hanc gratiam propria industria et sine alicuius eruditionis magisterio promoventur, qui tamen in suis contemplationibus usque ad mentis excessum nullomodo rapiuntur. Quidam autem ad eandem gratiam ex aliena eruditione magis quam ex proprio mentis acumine proficiunt, qui in suis contemplationibus sepe usque ad mentis excessum assurgunt. Hinc est quod Beseleel archam quidem fabricasse, non tamen ad illam intrasse legitur. Aaron vero ad archam aliena iam operatione fabricatam et intra velum collocatam ex more intrasse non dubitatur.

Ecce nos in hoc opere quasi Beseleel officium suscepimus, qui ad contemplationis studium instructorem reddere et quasi in arche operatione desudare curavimus.

Longe tamen me ipsum in hac gratia precedis, si ex hiis que audis adiutus interius usque ad interiora velaminis, si illud quod ipse parvulo laboramus et iuxta communem usum comprehendimus et assignamus, tu prevalueris per mentis excessum perspicere et quasi intra velum videre. Notandum quoque quod quidam ea que per mentis excessum conspiciunt, ad semetipsos reversi iuxta communem animi statum nullomodo capere vel recolligere possunt. Hinc est quod rex Nabuchodonosor somnium vidit, sed excussus a somno visum somnium ad memoriam revocare non potuit. Alii quod per excessum considerant, postmodum facile retractant, alii ut hoc possint multo labore desudant. Hinc est quod rex Pharao somnium vidit, visumque retinuit. Econtra autem rex Nabuchodonosor amissum somnium multa instantia recuperavit. Et Moysi quidem archa domini ex dominica revelatione est in monte ostensa, postmodum autem in valle familiariter nota.